



INDEX DISPUTATIONUM

XII Disput. vide p. 4  
sub Praesidio S. Frid. Bal  
duini.

13 De verbis testamenti Iesu  
Christi filii Dei, hoc est  
corpo meum, hoc est sanguis  
meus Pr. Balduini.

14 De Prae destinatione  
Pr. D. Joh. Gerhardi

15 Oratio De Friderico Myco.  
nio Theologo constantis. et  
primo Thuringorum Evangelista  
Ab. D. Ant. Erbo

16 De Dei et Christi Oratoris  
vivi Mediatoris nostri, apud  
Creaturas gubernandas  
universali et speciali pre  
sencia. D. Bal. Mentzneri  
D. Iust. Fernbornii

17 Abstergio Calumniarum  
Joh. Cocceii. Pr. Balb.  
Mentzneri.

18 De Baptismo conclusionibus  
comprehensus. Pr. D.  
Petri Piscatoris.

19 De persona Iesu Christi Ser  
vatoris nostri Pr. D. Ambro.  
Reudenio

20 De Baptismo initiationis  
Sacramenti Pr. D. Georgii  
Mylly.

21 De visitatione eccle  
siastica Pr. D. Georgii  
Mylly.

22 Carolestadius redivivus  
Centra Calvinianos Pr. D.  
Georgii Mylly.

23 De verbo Dei scripto,  
et traditionibus non  
scriptis. In Disputationes  
X distributa. sub Praes.  
D. Leonhardi Hutleri.

Indice decem Disputationum  
vide p. 2. in disp. 1.

34 Threnologia de obitu  
Principis Friderici Wilhelmi  
Hutleri D. Georgio Mylly.

35 Panegyris Actus Doctorei  
jurisconsultorum i. e. Joh.  
Stigeli et aliorum de inaugu  
ratione Acad. Salanae.

36 Modus inveniendae Concordiae  
in controvers. De electione ad  
vitam a San. Hubero D.  
2 in morte Principis Saxoniae

37 Ad Tragediam Virgilianam  
de Aenea et Lavinia

38 166 Selectiones Epistolae D.  
Ph. Melancthonis ad D. Frid.  
Myconium conscriptae et

39 De viro sancto Martino  
Lutbero.

40 Votum nuptiale

De

SACRO SANCTA  
SCRIPTURÆ AUTHO-

RITATE, QUAM IN SE HA-  
bet divinam & Ecclesiæ testifi-  
catione majorem,

Quam Spiritu Sancto favente

SVB PRÆSIDIO

Reverendi & clarissimi viri

Dn. LEONHARTI HUTTERI,

S. Theol. D. & Professoris in celebri Academia  
VVitebergensi Publici discutiendam  
proponit

BARTHOLDVS KRAKEVITZ

*Nobilis Rugianus.*

ad diem 7. Martii hora 6. matutina.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

Anno M. DC. VI.

*Reverendis, Pietate, Eruditione & Auctoritate*

*Clarissimis viris*

DN. GEORGIO MYLIO S.S. Th. Doctori & in  
Academia Witebergensi P. P. Superintendenti vigilantissimo,

E T

DN. FRIDERICO BALDVINO S. S. Th.

Doctori, & in eadem Academia Professori P.

*Dominis Præceptoribus & promotoribus perpetua obser-  
vantia colendis.*

Circumspicienti mihi Reverendi & Clarissimi viri  
Præceptores & Promotores observanter colendi, cui hæc de sacrosan-  
ctæ Scripturæ *involuntariæ* nugis & deliriis Romanensium oppositas positiones in-  
scriberem, vos præ aliis multis eligendos & patrocinio earum deputandos,  
certis adductis rationibus judicavi. Etenim quantopere Theologia accurati-  
or iis quos rerum dominos fortuna fecit plerisque; (de omnibus enim loqui te-  
merarium foret) sordeat, & quàm iniqui sæpius illarum rerum, quæ animarum  
salutem concernunt censores hiipsi existant, vel me tacente, ipsa rei veritas &  
mundi hujus immunda *involuntariæ* manifestè ostendit; ita quidem, ut si quis præ-  
dictis hominibus labores suos concedat, is, quod in proverbio est, lupo o-  
vem commendet. Rectius igitur meo quidem iudicio, opinor & aliorum, ii  
facere videntur, qui cum ingenii sui fructus publicæ & periculosæ luci com-  
mittunt tales patronos deligunt, qui sibi commissa suscipiunt, suscepta co-  
gnoscunt, cognita cordatè & candidè dijudicant, quod eum vos quoque Viri  
Reverendi & Clarissimi facturos totus confidam, hoc quicquid est chartacei  
muneris devotæ erga vos observantiæ & subsequenti gratitudinis indicem  
vobis offerre non dubitavi, quod ut benevolè accipiatis, & me discipulum  
vestrum, qui, ut nostis, probrum Christi præ divitiis Egypti elegi, vestra be-  
nevolentia ornetis, etiam atq; etiam rogo. Witebergæ 9. Calend. Martii,  
Anno 1606.

R. V.

*Observantiss.*

Bartholdus Krakevitz

Nobilis Rugianus.





Disputatio Secunda  
De  
SACRÆ SCRIPTU-  
RÆ AVTORITATE.

POSITIO I.



*OMNIBVS IN VNIUERSVM  
disciplinis hoc esse commune deprehen-  
dimus, ut quoad sanis & incorruptis  
principiis gaudent, eatenus illarum in-  
tegritas veritasq; salva & illasa persi-  
stat.*

II.

*Par etiam omnium scientiarum di-  
uinissimæ Theol. scilicet est ratio, quæ tunc demùm integrè  
& incorruptè proponitur, cum ex sacra Scriptura unico &  
sufficienti omnis salvificæ fidei principio astruitur, & à quibus-  
vis corruptelis vindicatur.*

III.

*Conati sanè fuerunt nefario planè ausu hoc fidei no-  
stræ fundamentum conuellere, annihilare, & irritum redde-  
re plurimi omnium ferè temporum hæretici: aliis integram  
propemodum Scripturam repudiantibus & pro vero ac indu-  
bitato DEI verbo humanas glossas ingerentibus: aliis con-  
trà majestatem & auctoritatem sacrarum literarum elevanti-  
bus & conculcantibus.*

A 2

Et qui-

## IV.

Et quidem hoc nostro seculo, quos ad Ecclesie religionis-  
que Christiane calamitatem Diabolus edidit, omnibus ante-  
actis temporibus inaudita & verè fictitia IESU societas ni-  
hil non, quod ad decrementum predicti principii cedere possit,  
tentat & machinatur.

## V.

Penes se enim moderni IESUITÆ quid pro verbo  
DEI sit acceptandum, quid porrò repudiandum, unicè situm,  
volunt, à seipsis oraculorum divinorum majestatem autorita-  
temque suspendunt; Scripturam imperfectionis & obscurita-  
tis fastidiosè arguunt, ita quidem ut si istorum hominum  
sensu sit standum, annè aliquod & quodnam Theologiae sit  
principium veraque fidei fundamentum, meritò quis dubi-  
tet.

## VI.

Ut itaque ejus Scriptura, cujus pomæria precedenti  
σὺλῆρῃ felicitè sunt jacta, autoritatè porrò, dignitatè & ma-  
jestatem ab adversariorum corruptelis liberemus, opera pre-  
tium nos facturos arbitramur, si aliquot subnexis Positioni-  
bus, unde sua Scripturae majestas constet & quantum ea Ec-  
clesie autoritatem superet, paucis proponamus; quod ut eò  
commodiùs fiat ad subsequèntia membra theses hasce revo-  
cabimus.

1. Quisnam verus & genuinus inter nos & Pontificios sit  
controversie status inquiremus;

2. Deinde verò nostram sententiam proferemus; ita ta-  
men ut datà occasione erroneæ opinionis placita pariter indi-  
cemus.

## VII.

**I.** Sacram Scripturam cum dicimus, non qualibet quodam-  
modo sacra scripta designamus; sed de iis Libris, quos indu-  
bitatò Propheticos & Apostolicos esse ex immotis fundamentis  
superiùs

superius astructum est, agimus; horum, cum divini sint, Deo authore gaudeant, rebus sacris sint refertissimi, aliquam esse auctoritatem, nemini Christiano dubium esse potest.

VIII.

Quis enim, cum effectus causa sua excellentiâ gaudeat, Scripturam quæ Liber I E H O V Æ dicitur (Esa. 34, 16.) quam Deus per os sanctorum suorum prolocutus est, (Luc. 1, 70.) omni majestate, dignitate & auctoritate, nisi planè impius sit, spoliare aut privare præsumet?

IX.

At verò omne Questionis momentum in ee non consistit, siquidem non sufficit aliquam Scripturæ relinquere auctoritatem, cum & ii hoc facere videri velint (Bellarm. lib. 2. de Concil. c. 12.) qui aliàs Scripturam ab Ecclesiæ auctoritate & commendatione, ut mox apparebit, in solidum suspendunt.

X.

Verùm nec tunc terminatur præsens controversia, cum non aliqua tantùm, sed benè magna etiam libris indubitato Canonice auctoritas conceditur, ita ut eos non tantùm à profanorum Scriptorum operibus differre: sed etiam permultùm differre & immenso gradu sublimitatis & excellentiæ distare quis largiatur. Non enim, an & quantum hi libri præscriptis profanis auctoritatis obtineant tantummodò queritur: sed & utrum, & in quantum verum Verbum DEI ad Ecclesiam ejusq; decreta collatum, Ecclesiæ auctoritatem transcendat, investigatur.

XI.

Nec etiam de quibusvis concurrentibus mediis & adminiculis, quibus fides nostra initium sumens & nondum robur suum adeptæ aliquo modo adducitur, ut Scripturæ assentiatur, sermo est; siquidem de eo constat, fidem in primordio suo multis egere adminiculis, inter quæ etiam testificatio Ecclesiæ suum

quodammodo locum obtinet, ut pote per quam aliquam ad fidem  
preparationem & inductionem fieri, facile admittitur.

XII.

Cum igitur de *divina* Scriptura hoc loco disceptatur, ad  
authoritatis Scripturae causam quã in se & ex se habet potissimũ  
respicitur; sive, ut clariùs hoc quod controversitur, delinee-  
mus, illud *Questionis* est: Unde S. Scriptura à Sp. S. prolata  
respectu nostri hoc habeat, quod talis esse creditur, seu:  
Unde nos non historica scientia; sed firmissima fidei *πλη-  
ροφία* credamus Scripturae, illique tanquam firmo & im-  
moto fundamento fidei ac religionis insistamus.

XIII.

Pontificii hanc causam in cordibus nostris au-  
thoritatem Scripturae obsignantem Ecclesie ejusque testimo-  
nio unice deferunt, ad quam ita Scripturam alligant, ut Eccle-  
siæ attestante nõ sit authentica sine autoritate Ecclesie (Enchirid.  
de Ecclesia & ejus autor. ad 3. objection. Hereticor.) quippe  
quæ (ut idem paulò ante inquit) Scripturã est antiquior & an-  
te Scripturam extitit. Neque enim autoritatem haberet Scri-  
ptura (inquit Cochleus ex Sedelio de autor. Eccl. & Script. ad-  
versus Calvinum) Si Ecclesia non dedisset; illa quæ (scilicet Ec-  
clesia) esset, Scripturã omninò deperditã, Quis enim audeat  
dicere Ecclesiam ex litera scripta pendere? quando possibile sit  
codices omnes perditum iri, Ecclesiam verò minimè &c.

XIV.

Melch. Canus Ecclesie autoritatem certam regulam dicit, ad  
libros vel in Sacrorũ numerũ recipiendos, vel etiã rejiciendos, (l. 2,  
Loc. Theol. cap. 7.) adeò quæ ex ejus testimonio firmissimum à  
Theologis desumi argum. censet, propterea quod (ut eod. cap.  
paulò post blaterat) Ecclesia, quæ nunc est (Romana scilicet)  
in fide errare non possit.

Pari



## XV.

Pari modo Robertus Bellarm. utut aliàs Scripturam Conciliis se præferre simulat, (l. 2. de Concil. c. 12.) omnem Scripturæ autoritatem, propter quam illi quod sit talis credimus, non Scripturæ: sed Ecclesiæ traditionibus acceptam refert. Sic enim ille: (l. 4. de Verbo DEI c. 4.) Neesse est nosse, extare libros aliquos verè divinos, quod certè **NVLLO MODO** ex Scripturis haberi potest. Nam etiamsi Scriptura dicat libros Prophetarum & Apostolorum esse divinos, tamen non certò id credam, nisi priùs credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, esse divinam. Nam etiam in Alcorano Mahometi passim legimus, ipsum Alcoranum de cælo à Deo missum & tamen ei non credimus &c.

## XVI.

Ecclesiam autem cum Pontificii nominant non ad primitivam, illam videlicet quæ Apostolorum temporibus vicina est, cujus officium fuit scriptis Instrumenti Veteris testimonium perhibere, respiciunt: sed ad modernam & quidem Romani Pont. synagogam digitum intendunt; nec verò omnibus istius Ecclesiæ membris istam Scripturæ commendationem, de qua dictum est, concedunt, siquidem docente Bellarm. Prælati ordinariè, Cardinalibus Abbatibus, & generalibus ordinum ex privilegio & consuetudine jus suffragii decisivi tantummodò competit (Bell. l. 1. de Concil. c. 15.) ut ita reliqua Ecclesiæ membra ab hac commendatione & testimonio prorsus excludantur.

## XVII.

Sed & hujus suæ prorsus insulsæ opinionis quædam fundamenta & rationes numero magis quàm pondere graves producant, quibus ejusdem pudenda, nimis aliàs conspiciua vestire & palliare præsumunt, quarum tamen præcipua extra oleas tantummodo vagantur & quod dicitur ἀερόβατοι, ut ipsa deinde collatio ostendet.

Principio

## XIX.

Principio igitur libenter hoc adversariis largimur, Ecclesiam (principaliter autem eam quæ primitiva dici meruit) de Scripturâ testari, idque non sine omni, sed cum aliqua eaquæ benè magna auctoritate, cujus rei testem etiam habemus Augustinum sic contrâ Manichæos scribentem (contra Epistolam fundamenti) Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret autoritas: quibus verbis apertè ostendit non omninò Ecclesiæ (veræ tamen & genuinæ) testimonium & approbationem rejiciendam aut repudiandam, sed suo loco magnificandam.

## XIX.

Quin imò Ecclesiæ erga Scripturam sunt plurima eaquæ distinctissima officia. Præterquam enim quod Biblici codicis est custos fidelissimus, de ipsis etiam Scripturis (servato tamè jam antè commemorato Ecclesiæ discrimine) judicat, eas promulgat, & caduceatoris instar proclamat, qua de causa etiam tam splendido titulo in sacris literis ornatur, dum Paulus eam *σὺλον καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας* nominat. (1. ad Timoth. 3, 15.)

## XX.

At hæc omnia, quæ sanè suo modo magna & sublimia apparent, tanti tamen neutiquam sunt monenti, ut propterea omnis sacrarum literarum auctoritas ab Ecclesiâ unicè sit suspendenda, & horum servitiorum causa, quibus Scripturæ Ecclesiâ obstricta est, ipsi Scripturæ tantummodò credendum: neque enim edicto principis propterea quod à ministro ejusdem affigitur & promulgatur: sed quia ab ipso principe profectum est, fides adhibetur & pro tali agnoscitur.

## XXI.

Sacra itaque Scripturæ, quod in sese augustissimam planè habet majestatem & auctoritatem summam, id ipsum unicè ab autore suo & causa, DEO videlicet obtinet. Non enim  
humana-

humanâ voluntate allata est; sed Spiritu sancto inspirati sancti DEI homines, locuti sunt (2. Pet. 1.) unde etiam  $\gamma\epsilon\gamma\alpha\phi\eta$   $\theta\epsilon\acute{o}\pi\upsilon\epsilon\upsilon\varsigma$  (2. ad Tim. 3.) &  $\beta\epsilon\beta\alpha\iota\acute{o}\tau\epsilon\gamma$   $\theta$   $\lambda\acute{o}\gamma$   $\theta$  nominari dignata fuit.

XXII.

Liberales hic videri volunt Romanenses, dum & ipsi inter Scripturam quoad se & in se consideratam, & quoad illius auctoritas nobis persuadenda est immani boatu (verborum tantum) distinguunt. At si existis hominibus quæras, quam illa sit Scriptura  $\epsilon\upsilon$   $\epsilon\acute{\alpha}\upsilon\tau\eta$  considerata, ad literas illas atramento in papyro vel membrana delineatas, & ad papyraceum codicem ex suâ naturâ  $\epsilon\acute{\nu}\omicron\eta\tau\omicron\upsilon$  te abducunt, quam Scripturam tantis aliis conviciis proscindunt, ut ne politico cupiam scripto; tantum abest ut verbo Dei equiparari possit.

XXIII.

Manet ergo, omnem istos homines Scripturæ excellentiam Ecclesiæ testimonio tribuere, atque ita hac suâ quam prætendunt, distinctione, glaucoma tantummodo oculis legentium objicere, quo nos rejecto, in demonstratione auctoritatis Scripturæ, in quantum ejus divinitas nobis persuadenda est, meritò progredimur.

XXIV.

Summa igitur causa  $\pi\lambda\eta\gamma\omicron\phi\omicron\gamma\iota\alpha$  fidei in nobis efficiens, corda nostra movens & flectens, ita ut Scripturæ credamus, illamq; pro indubitato DEI Verbo acceptemus, est ipse autor Scripturæ Sp. Sanctus. Is enim testimonium perhibet Spiritui nostro (Rom. 8, 16.) & testificatur Spiritum esse veritatem (1. Ioh. 5. v. 6.)

B

Splendor

## XXV.

*Splendor Veritatis hoc ipsum etiam dicere cogit Pontificios, ita ut de causa interiori Spiritu Sancto divinarum Scripturarum oracula in nobis obsignante litem tantoperè non moveant. Sic enim hac de re M. Canus: Deinde quoque id statuendum est, auctoritatem humanam & incitamenta omnia illa prædicta, sine alia quacunque adhibita ab eo, qui proponit fidem, non esse sufficientes causas ad credendum, ut credere tenemur: sed præterea opus esse interiori causa efficiente: id est, D E I speciali auxilio moventis ad credendum. (l. 2. Loc. Theol. cap. 8.)*

## XXVI.

*Operatur autem hanc fidem Spiritus Sanctus non per raptus ενθουσιασµὸς: sed per certum medium; quod non Ecclesiam, eiusque commendationem esse: sed ipsum verbum sive lectum, sive auditum, sequentibus ut statuamus, adducimur.*

## XXVII.

*Primò namque non quodammodo divinum sed divini-  
 1. -  
 1. -  
 nissimum oportet esse principium cui fides nostra innitatur; illud autem non Ecclesiam sed Scripturam esse facillimè ostenditur. Cum enim fundamentum Ecclesie ipsa Scriptura constituatur, sic pronunciantem Paulo: Superstructi estis super fundamentum Prophetarum & Apostolorum: (Ephes. 2, 20.) quis, nisi per enormem absurditatem, Scripturae auctoritatem Ecclesie auctoritati postponere præsumet?*

## XXVIII.

*Præterea etiam cum fidei πληροφoγία Scripturam  
 2. -  
 unice respicere debeat, Ecclesia utique, quæ fidei domina  
 na neu-*

na neutiquam constituenda est, (dominium enim hoc in Corinthiorum fidem Apostolus à se voluit esse remotissimum, 2. Cor. 1, 24.) Scripturâ longè erit inferior, neque ex ejus auctoritate Scripturae auctoritas metienda erit.

XXIX.

Tandem cum Scriptura à D E O ipso prolata precariam quoad nos auctoritatem relinquere, perquam sit impium; illud autem manifestè fiat, si Scripturae auctoritas ab Ecclesiae suffragio suspendatur, vel eo ipso nomine Scripturam majorem Ecclesiae auctoritatem obtinere est manifestum.

XXX.

Deinde illud sanè medium ad ingenerandam nobis fidei  $\omega\lambda\eta\gamma\omicron\phi\omicron\gamma\iota\omega\upsilon$  est accommodatissimum, quod in se ac sua natura summa vi ac efficacia ad movendas & excitandas hominum mentes praeditum est; at tale medium est ipsa Scriptura id quod dictis manifestissimis evincere non est difficile.

XXXI.

Comparatur ea pluvia & nivi fertilissime (Esa. 55.) fructificanti semini, (Luc. 8:) dicitur quovis gladio anticipi penetrantior: (Hebr. 4.) nominatur virtus D E I (1. Pet. 1.) quibus & similibus elogiis quantam ad persuadendum nos de auctoritate sua commoditatem efficaciamque hoc ipsum sacrae Scripturae verbum habeat manifestissime ostenditur.

XXXII.

Quid quod & hoc ipsum verbum adeò est lucidum, adeò perspicuum, ut extrinseco & adscititio lumine ad sua auctoritatis

comprobationem minime egeat. Lucerna enim pedibus nostris Verbum Domini (Ps. 119.) lucens in loco obscuro, cujus beneficio lucifer in cordibus nostris exoritur. (2. Pet. 1. v. 19.)

XXXIII.

Accedunt deinde κριτήρια hanc ipsam Scripturam concomitantia, quæ singula magnam ad persuadendam Scripturæ authoritatem eamque à scriptis aliis discernendam vim, multumque momenti obtinent. Talia quidem etsi sunt plurima, brevitatis tamen studio pauca tantum hoc loco annotasse sufficiat, ut ita ad instituti nostri terminum & scopum deveniamus.

XXXIV.

Primò equidem antiquissima est hæc Scriptura, quæ mundi spatio ἐξ ἀρχῆς ex nihilo fabricati initia & progressus describit, ut ita quoscunque scriptores etiam vetustissimos suâ antiquitate & rerum vetustissimarum memoriâ facilimè superet.

XXXV.

Insunt & huic Scripturæ res non vulgares tantum & quæ quotidie obvia ob nimiam familiaritatem nihil admirationis importent: sed maximè sublimes & excelsæ, quæ tanquam accensæ & lucidissimæ lampades tantum inter Scripturam & alia scripta discriminis faciunt, quantum terrena à cælestibus, corporalia à spiritualibus, ignobiliora à nobilioribus, divina ab humanis distare, compertum est.

XXXVI.

Quod si ad styli ac orationis genus quis respiciat, non ibi grandiloquentiam aut κήρυμα ἐν ταυτοῖς ἀνθρώπων σοφίας λόγους reperiet, sed simplicis styli res magnas delineantis ductum continuum, quo omnem humanam profanorum hominum in orationis genere observatam pompam Spiritus Sanctus longis-

longissimè superat & mentes cordaq; legentium validissimè percellit.

XXXVII.

De quo Orationis genere elegantissimè August. Scriptum reliquit: Scriptura velut materno incessu submissius ingreditur, ne infirmitatem nostram, qui vix humi repimus, deserat.

XXXVIII.

Quin & concentus ille omnium Scripturae partium harmonicus longè certissimum ejusdem est κενήσιον, utpote quam in enumeratione tot historiarum, tamque variarum doctrinarum inculcatione nullibi à seipsa dissentire aut sibi contradicere commonstrari poterit.

XXXIX.

Quanquam enim plurimæ sint hujus ipsius Scripturae sententiæ, quæ primâ fronte aliquid discordare videntur: tamen considerato cujuslibet loci scopo, expensâ præcedentium & consequentium juncturâ, ponderatâ simul phrasi & ad totius Scripturae concentum deducta explicatione, apparentem tantummodò non autem veram fuisse ἀντιφασιν manifestabitur.

XL.

Sed nec predictionum veritas & cum eventu certissimo perpetuus consensus prætereundus est. Sic enim posteriora omnia prioribus consentiunt, ut nec unquam quidem aliquid quod opere & re ipsa completum non sit prædictum reperiat, quæ res singularis majestatis & certitudinis Scripturam luculentissimè arguit.

XLI.

Quid quod hanc ipsam Scripturam, quam funestissimo bello & odio planè insatiabili Diabolus persequitur, perpetuò conservatam videmus, ita quidem ut quamvis eam sæpius abolere & igne per organa sua concremare voluerit, ea tamè contrâ tot Sathanæ machinas & mundi furores perstet & prorsus mirabili successu triumphet.

## XLII.

Plura hujuscemodi infallibilia & longè certissima ne-  
típia recēdere non esset laboriosum, quæ tamen, cum ex Epito-  
micis libellis peti possint, brevitatis causa hoc loco prætermi-  
timus.

## XLIII.

Ceterum omnia hæc hætenus commemorata nostra senten-  
tia ἀπὸδείξω exhibent longè verissimam, quam nunc schema-  
te syllogistico comprehensam omnium oculis hoc modo subjici-  
mus:

## XLIV.

Id quod non aliquam tantum sed summam & Ecclesie au-  
thoritate majorem obtinet, & ad ingenerandam fidem medium  
est accommodatissimum, suæq; divinitatis νεῖρηια ex se prodit  
longè manifestissima, ejus authoritas quoad nos ab Ecclesie  
calculo & approbatione non est suspendenda:

Atqui sacra Scriptura est talis: Ergò.


## XLV.

Majorem nisi quis lucem tenebras, & nivem nigram di-  
cere velit, nemo negabit. At verò Minorem nos hætenus de-  
clarasse & comprobasse confidimus; Salva itaq; est & immota  
Conclusionis adversus omnes Jesuitarum glossas & quisqui-  
lias veritas.

**F I N I S.**


Θεῶ δόξα.





Handwritten text on the right edge of the page, possibly a library stamp or inventory number, including the letters 'EY' and 'P'.





94 A 7359

ULB Halle 3  
002 625 679



Sb.

Retro  
W 17





XIII

DE SU

PER

FRONTIS

SPIC

INDEX

Handwritten label with illegible text

Small label with illegible text

Small label with illegible text





DISPUTATIO THEOLOGICA II.

26

De

# SACRO SANCTA SCRIPTURÆ AUTHO-

RITATE, QUAM IN SE HA-  
bet divinam & Ecclesiæ testifi-  
catione majorem,

Quam Spiritu Sancto favente  
SVB PRÆSIDIO

Reverendi & clarissimi viri  
Dn. LEONHARTI HUTTERI,  
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academia  
VVitebergensi Publici discutiendam  
proponit

BARTHOLDVS KRAKEVITZ  
*Nobilis Rugianus.*

ad diem 2. Martii hora 6. matutina.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Johann. Gorman.

Anno M. DC. VI.